

inducant peccatum, & rebellent juri divino, quia infringunt veritate; magis tamen credo statuti verba ad predictas leges abrogatas non extendi ex defectu intentionis Papæ.

DE TESTAMENTIS.

Cap. Relatum, il primo.

S V M M A R I V M.

- 1 **U**ltima voluntas ad pias causas coram duobus testibus valet, & n. 4. & 7.
 - 2 Legata pia peti possunt coram iudice seculari, qui tenetur causam decidere non secundum leges, sed secundum canones.
 - 3 Differentia sex inter hoc cap. & precedens cap. Cum esses, & n. seq. usque ad n. 15.
 - 4 Talis, dictio est restrictiva ad similia, & dissimilium exclusiva.
 - 5 Ad pias causas valet non modo legata, & fideicommissa, sed etiam institutio heredum, de qua constat per duos testes, & n. seq.
 - 6 Testamentum est, in quo heres instituitur.
 - 7 Supplicationes ad Decretales non sunt permittæ, & qui supplet, corrigat.
 - 8 Testes duo in testamento ad pias causas non sunt de solemnitate substantiali, sed probatoria, qua potest adimpleri per aquipollens, & n. seq.
 - 9 Testamentum ad pias causas scriptum manu testatoris valet sine ullo teste.
 - 10 Testamentum inter liberos scriptum, vel scriptum manu testatoris sine aliquo teste valet quoad liberos, sed non quoad extraneos, nisi saltem duo testes intervenerint.
 - 11 Testamentum ad pias causas coram duobus testibus valet etiam in terris Imperij, & in foro civili.
 - 12 Testes in testamento ad pias causas non requiruntur nisi rogati.
- Et postea adhiberi etiam mulier, & n. 14.
- 13 Regula Socini falsò eidem tribuuntur.
 - 15 Cæcus an possit testari ad pias causas non servatà formâ, l. Hac consultiissima, C. Qui testam. facer. poss. remissive.

RELATUM. Valet ultima voluntas ad pias causas coram duobus testibus. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Cardin. Ancharan. Imol. Jo. de Anan. & est casus singularis secundum Abbatem. Dividitur in tres partes. Prima ponit factum reprehensibile, quod secunda corrigi mandat ibi, Mandamus. Tertia mandatum probat, ibi Quoniam.

- 2 Nota primò ibi, ad testium fuerit examen deducta, junctâ supra scriptione, legata pia peti posse coram iudice seculari, ipsumque iudicem teneat huiusmodi causam decidere non secundum leges, sed secundum canones, ut in littera, & hic notant Butr. Imol. & Abb. in l. notab.
- 3 Secundo nota ex textu sex differentias inter hoc cap. & precedens cap. Cum esses, ex quibus habebis intellectum textûs, & explicationem materie.
- 4 Differunt enim primò, quia hoc cap. loquitur de ultima voluntate ad pias causas, ut patet ibi, super relictis Ecclesia, nec non ibi, cum aliquo causa talis: nam dictio, talis, est restrictiva ad similia

& dissimilium exclusiva, Bald. in conf. 284. in libro Esira n. 2. lib. 3. Et ita hic tenent Jo. Andr. & ceteri in summario tex. Federic. de Senis in conf. 217. Factum tale est. Quodam nomine, rum. 2. ver. Cum ergo. Gemin. in conf. 49. Super isto puni. num. 5. Et hanc opinionem sequuntur omnes nemine excepto, ut inquit Paris. conf. 51. Testamentum. num. 1. lib. 3. sed cap. precedens loquitur de ultima voluntate ad non pias causas. Et quamvis Bernard. hic in glos. 1. & 2. Se in cap. precedenti. in glos. 3. Item glos. Joan. Raymundus, Bartol. & quidam alii senserunt, etiam cap. precedens loqui in relictis ad pias causas: tamen contraria opinio est verior, & magis communis, ut optimè deducit Gemin. d. conf. 49. num. 5. & scripsi plenius in eodem cap. in prima lectura, num. 38. & in secunda lectura, num. 41.

Secundò differunt, quia hoc cap. secundum aliquos loquitur in legatis, & fideicommissis particularibus, ut innuitur ibi super relictis ecclesiæ: præcedens verò loquitur in testamentis, & consequenter etiam in institutione heredis, quæ est caput, & fundamentum totius testamenti, s. Ante heredes, instituitur, de legat. & secundum Abb. Antiqu. hic n. 1. Testamentum est, in quo heres instituitur; sed hæc differentia non est vera, quia etiam hæc Decretalis loquitur de testamento, ponderando illa verba, septem idoneos testes: nam numerus septem testium non requiritur, nisi in testamento, ut l. fin. C. de fideicom. cum concordant. Unde per hoc c. valet non tantum legata, sed etiam institutio heredis, ad pias causas, de qua constat per duos idoneos testes, tenet Federic. de Senis, d. conf. 217. num. 2. ver. Cum ergo, dicens, in hanc sententiam consentiunt quasi omnes opiniones in his Decretalis verbis recitatis.

Tertiò differunt, quia ex precedenti cap. Cum esses, in testamento ad non pias causas ultra duos testes necessarii etiam requiruntur presentia Presbyteri Parochialis, ut ibi dixi num. 55. reprobandò lecturam Antonij de Butrio. At verò per hoc cap. in testamento ad pias causas sufficienti duo testes, ut in littera ibi, duobus legitimis testibus; & tenent omnes in summario textûs. Neque enim admittendus est singularis intellectus Petri de Sampson, qui in littera ibi, duobus, addebat præter Presbyterum, ut sic non recedat à regula precedentis cap. Cum esses, prout eum refert ibi Jo. Andr. n. 2. in fin. Etenim huiusmodi additiones & suppletiones ad Decretales non sunt permittæ, Clem. Ne Romani, ibi, vel addi, de election. & qui supplet, corrigat, ut in auth. de non alien. in princip. Brixien. in Repert. in verb. Suppletio. Et hanc opinionem sequitur etiam Rota d. conf. 734. num. 6. par. 1. divers. dicens eam communem post Alex. in l. si certo anno, sub num. 5. ver. Et talerelictum, C. de pact. & conf. 131. num. 2. lib. 7. & Clar. in §. Testamentum, quasi. 6. ver. Hinc inferunt. & subdit ibi Rota num. 7. & 13. Hos duos testes non requiri pro substantia testamenti, sed ad probationem illius aliquid legat Cora. conf. 215. num. 4. lib. 2. & conf. 307. Videntur prima facie, num. 6. lib. 3. Et ex hoc singulariter inferunt, ut valeat testamentum ad pias causas manu testatoris scriptum, etiam sine ullo teste: nam cum testes, ut prædixi, non sint de solemnitate substantiali, sed probatoria, hæc solemnitas potest adimpleri per æquipollens, secundum ea, quæ notantur in cap.

Tua, & ibi dixi n. 22. infra de sponsalib. Ideoque qualitercumque appareat ultima voluntas ad pias causas, ita ut sit legitime probata, non est curandum an intervenerint testes, nec ne. Et ita in specie firmant Imol. in l. si quis, ff. de testamen. Com. de conf. 307. num. 6. & per tot. & Tiraquell. in tract. de privileg. privilegio 4. idque ad exemplum testamenti inter liberos, quod si sit scriptum manu testatoris, vel alienâ, sed manu ipsius testatoris subscriptum valeat sine aliquo teste quoad liberos, licet non quoad extraneos, nisi saltem duo testes intervenerint, ut est textus in §. Nos igitur, auth. de test. imperfect. & in auth. Quod sine C. de testam. & in auth. Simodo, & in l. ultim. C. Famili. Erciscandâ. & tenent Imol. Corn. & Tiraquell. locis cit. & resolvit Rota d. conf. 734. num. 1. & per tot. par. 1. divers. Quod nunquam obliviscaris, quia est notabilis limitatio ad hanc decretalem requirentem numerum duorum testium in testamento ad pias causas.

Quartò differunt, quia hoc cap. cum loquitur de relictis Ecclesiæ, in quibus potestas Papæ non restringitur ad limites aliquis territorij, c. Cuncta per mundum, g. q. 3. abique dubio servari debet non tantum in terris subiectis temporali jurisdictioni Ecclesiæ, sed etiam in terris Imperij, & tam in foro ecclesiastico, quam in foro civili, ut egregie probat Bart. in l. habeat, num. 70. usque in fin. C. de sacros. Eccles. & hic tenet Imol. in 2. not. dicens ita communiter teneri, & Abb. num. 2. & 3. per ea, quæ notantur in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de Constitut. & in cap. Quod Clericus, de foro comper. & nullus discrepat. At verò an testamentum ad non pias causas conditum coram Parocho, & duobus testibus ad præscriptum precedentis c. Cum esses, valeat in terris Imperij, & in foro civili, magno opere altercantur Legistæ cum Canonistis, ut ibi dixi in 2. & 3. lectura, & in quasi. de testam. cæci ad num. 117. usque ad num. 157.

Quintò differunt, quia præcedens caput restringitur ad testamenta, quæ sunt in articulo mortis; quam tamen restrictionem non habet textus in præsentia. Sed hæc differentia non est vera, quia etiam c. præcedens locum habet in quocunque testamento, licet condito extra mortis articulum, ut ibi dixi in 6. lectura, n. 63.

Sexta, & ultima differentia est, quia in testamento ad non pias causas condito ad præscriptum precedentis c. Cum esses, testes debent esse rogati secundum veriorém opinionem, ut ibi dixi num. 17. at in testamento ad pias causas, de quo loquitur hoc c. talis solemnitas non requiritur. Nam et si Doctores nostri videantur sentire hanc Decretalem non providere in relictis ad pias causas, nisi respectu numeri testium: Ideoque Franciscus de Areio consuluerit testes esse rogandos, quia non debemus recedere à jure civili, nisi quatenus contrarium reperitur cautum de jure canonico: Tamen hoc reprobat Abb. hic n. 3. ver. unde concludit. Et bene, quia licet questio hic fuerit proposita de numero testium: nihilominus in conclusione, quæ magis est attendenda, Papa dat generalem doctrinam, ut hæc causa testamenti ad pias causas non tractetur secundum leges, sed secundum Decretorum statuta, & subdit Abbas ita hodie communiter servari. Nec obstant illa verba: testibus requisitis, quia textus noster ibi non intendit, ut testes in ultima voluntate ad pias cau-

sas debeant esse requisiti, se rogati à testatore; sed verbum, requisiti, refertur ad iudices, & est sensus, ut iudices, ad hoc ut possint judicare pro relictis ad pias causas, debeant requirere ut hanc probatio ipsorum relictorum, saltem per duos testes, ut hic declarat Jo. de Imol. num. 15. & post eum Alex. in conf. 131. super themate, num. 2. lib. 7. Subdens hanc opinionem esse approbatam, & in judicijs, & in scholis, quam etiam communem esse attestantur Socin. in regul. 420. testes in testamento regulariter rogati esse debent in 2. fallen. quem refert Boër. dec. 34. n. 5. (licet reverà ille liber regularum falsò tribuatur Socino, ut ex ipsius ore se habuille testatur Socin. Junior ejus nepos in conf. 24. post n. 4. lib. 3.) Alios plures refert Julius Clarus in §. Testamentum, q. 6. ver. Secundo inferunt. In talibus enim cessat suspicio falsitatis, ut dixi in cap. Proximo, n. 23. supra eod.

Et quod dictum est de testibus rogatis, idem intelligas de muliere, quæ in testamento ad non pias causas condito ad præcedens cap. non potest esse testis, & tamen potest in testamento ad pias causas, ut ibi dixi in 6. notab. n. 34. 35. & 36.

An autem cæcus possit testari ad pias causas non formâ servatâ, l. Hac consultiissima, dixi in eodem cap. Cum esses, n. 110. & 152.

DE TESTAMENTIS.

Cap. Tua nobis.

S V M M A R I V M.

- 1 **E**piscopus cogit executores ad exequenda pias voluntates defunctorum, etiam si testator hoc interdixerit.
- 2 Episcopus cogit ultimam voluntatem cum certis executor deputatus non est, vel si est, decreta exequi.
- 3 Et quid si testator providerit sibi de alio executorum in casum negligentia primi.
- 4 Episcopi sunt executores piarum dispositionum in casibus à jure concessis.
- 5 Sed rationes exigere possunt ab administratoribus piarum locorum etiam privatorum, & in casibus non concessis à jure.
- 6 Executores testamentorum salcediam non detrahunt.
- 7 Salcediam non detrahuntur de legatis ad pias causas.
- 8 Administrator capella non potest fructus sua industria, & labore excrecentes pro se retinere.
- 9 Executores compelli possunt ad exequenda piam testatoris voluntatem etiam per censuram. Executoris officium sibi delatum in testamento non cogitur quæ acceptare, ibidem.
- 10 Monitiones quot, & quales requiruntur, ut executor possit cogi ad implendam testatoris voluntatem.
- 11 Monitio unica sufficit in merè extrajudicialibus, sicut in alijs.
- 12 Testator non potest prohibere quin in casum negligentia sui exequenda devalvatur ad Episcopum, & n. seq.
- 13 Sicut nec potest capere, ut cæcus non teneatur de dolo,

- 14 dolo, si cetera male administrat.
- 14 Voluntas testatoris pro lege servanda est, si sit licita salubris secus.
- 15 Ordinarius non potest se immiscere administrationi & visitationi capellarum contra tenorem fundatoris a Sede Apostolica approbata, nisi in casu negligentis administratorum.
- 16 Episcopus in fundatione exclusus à visitatione, & administratione hospitalis, potest tamen in his se immiscere administratoribus negligentibus.
- 17 Testator non presumitur voluisse, ut iudicium suum reddatur elusorium.
- 18 Executores testamentorum esse possunt clerici, & religiosi, etiam ad non piis causis.
- FRATRES MINORES non possunt esse executores testamentorum, ibidem.
- 19 Religiosi etiam exempti cogi possunt ab Episcopo ad exequendam testatoris voluntatem, & n. 49.
- 20 Regularis, cui in testamento commissa est distributio annui redditus secundum mentem testatoris ei secreto communicatam, an sit executor, vel legatarius, ita ut monasterium possit dictum redditum sibi vendicare, & n. seqq. usq. ad n. 36.
- Et an cogi possit secretam testatoris mentem revelare, n. 36 usq. ad n. 50.
- Et an ei revelandi fides sit adhibenda, n. 50.
- Et q. reculant an sit interdiciendum executoris officium, n. 52.
- Et quomodo tunc exequendum, n. 58.
- 21 Legatarius, an executor quis sit ex quibus colligatur, & n. 30.
- 22 Verbum, possit, non importat necessitatem.
- 23 Monasterium succedit ex persona Monachi incapax, etiam Monacho invito, & n. seqq.
- 25 Executor censetur qui habet facultatem disponendi ad libitum iuxta voluntatem sibi à testatore secreto communicatam.
- 26 Executoris officium consistit in persona Monachi, nihilq. Ordini acquiritur.
- 27 Executori attestanti de voluntate testatoris sibi secreto commissa creditur.
- 28 Monachus legatarius cum certo onere secreto in legato non acquirit monasterio.
- 29 Legatarius, cui nimirum restituitur, habetur loco executoris.
- 31 Dispositio secundum voluntatem secreto à testatore executori participata, an valeat.
- 32 Voluntas secreto commissa an sit captatoria, & an haeres teneatur stare dicto executoris, & n. 35.
- 33 Captatoria voluntas an teneat quoad non piam causam.
- 34 Captatoria voluntas que sit. (ca.)
- 35 Executor an teneatur revelare voluntatem testatoris sibi secreto communicatam.
- 37 Iuramentum executoris de non revelando superiori secretam testatoris voluntatem est temerarium.
- 38 Secretum aliud receptum simpliciter, aliud in Sacramento poenitentiae.
- 39 Sacramenti vinculum majus quovis hominis conceptu.
- 40 Revelare non licet quod notum est per viam sacramenti, etiam si esset in prejudicium totius mundi.
- 41 Secretum, quod vulgo injungitur sub confessione, non est sub sigillo confessionis.
- 42 Testis tenetur propalare quod accepit sub sigillo confessionis extra Sacramentum poenitentiae.
- 43 Testis legitime interrogatus tenetur revelare secretum non obstante fide, ac juramento de non revelando, & n. 48.

Secreti fides non habet vim obligandi contra jus, ibidem.

- 44 Intrans non revelare superiori practipiens est perjurus.
- 45 Et quando hoc procedat.
- 46 Veritas elari potest hosti, vel persecutori, non iudici.
- 47 Secretum quibus casibus revelandum.
- 49 Executor secundum mentem testatoris tenetur redere rationem.
- 50 Executori revelanti secretam mentem testatoris an sit credendum, & n. seq.
- 52 Monachus executor potest à superiore privari facultate exequentis, si voluntatem testatoris revelare noluverit.
- 53 Religiosus à superiore privatus officio executoris etiam sine causa propter bonum obedientiam non potest contradiere.
- 54 Episcopus potest sibi vendicare executionem alteri à testatore commissam, si sit suspecto fraudis.
- 55 Et si hanc suspicio ex quibus oritur.
- Presumptio aliquis oritur tacita fidei in fraudem legis accommodata, si ex verbis testatoris non appareat an sit facienda restitutio ibidem.
- 56 Executoris fidei standum non est, quando non est persona legalis.
- 57 Legatum ab uxore distribuendum non valet stante statu, ut maritus non possit relinquere aliquid uxori.
- 58 Executor renuens secretam mentem testatoris revelare quomodo sit facienda executio.
- 59 Legatum distribuendum secundum secretam mentem testatoris dicitur ad piam causam, & deficiente executoris sit caducum.
- Contrarium, n. 60.
- 60 Epilogus, & conclusio questionum.

TUA NOBIS. Episcopus compellit fideicommissarios ad exequendas pias voluntates defunctorum, etiam si testator hoc interdixerit. Hoc dicit. Sunt duae partes, consultatio, & responsio. Secunda ibi, Cum igitur. Nota primò, pias defunctorum voluntates esse executioni demandandas per Episcopum Decretanum, ut hic per glossam, & Holt: nu. 6. in ver. Per locorum Episcopos. Sed intellige hoc verum esse in duobus casibus.

Primus est, cum nulli sunt designati fideicommissarii, seu executores in testamento, aliis enim ad ipsos, non ad Episcopum executio pertinet, ut est textus in l. Nulli, post princ. C. de Episc. & Cler. ubi habetur: Si quidem testator designaverit per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, is, qui specialiter designatus est, legatus, vel fideicommissarius habeat exigendi licentiam, & pro sua conscientia eorum adimpleat testatoris. Sin autem persona non designata testator absolute tantummodo summam legatus, vel fideicommissarii taxaverit, & Reverendissimus Episcopus illius civitatis, ex qua testator oritur, habeat facultatem exigendi pium defuncti propositum sine ulla cunctatione impleturus.

Secundus est, cum executores designati post monitionem detrectant voluntatem defuncti adimplere, ut hic, & in c. Joannes, infra eod. & supra in cap. Si haeres, & in leg. Si haeres ad. ff. de petit. hered. hared.

hered. & tenent hic Innoc. in ver. Compello, & Hostiensis, n. 7. in ver. Licet etiam à testatoribus, asserentes Episcopum exequi voluntate testatoris cum certus executor assignatus non est, vel si deputatus est, detrectat exequi. Quod ultimum notabiliter limitat Abb. n. 6. ver. Et in hoc putarem nisi testator providerit sibi de alio executoris in casu negligentia primi: eo enim casu non succedit Episcopus in executione, arg. d. l. Nulli, & l. Si quis ad declinandam. Ad hoc facit doctrina Bartoli in l. Liberto, §. Lucium, n. 2. ff. de ann. legat. ubi docet leges omnes, quae dicunt relicta ad certum usum posse per superiorem alijs rebus applicari, si in usum destinatum converti nequeant, non habere locum quando testator providit eo casu quid fieri debeat de legato. Et idem intelligo si in casum negligentia secundi, executoris testator alium designaverit. Verum omnibus exequi detrectantibus, tandem fiet devolutio ad Episcopum, neque hoc prohiberi poterit à testatore, ut hic est casus: unde merito Concilium Tridentinum cap. 8. sess. 22. (Episcopi, inquit) etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati in casibus à jure concessis omnium piam dispositionum sint Executores. Pondera illa verba, in casibus à jure concessis, propter que S. Congregatio declaravit decretum illud esse accipiendum juxta juris communis dispositionem, ut in c. Nos quidem, supra eod. & in d. l. Nulli, & in l. Si quis ad declinandam, C. de Episc. & Cler. licet secus dixerit esse quoad rationes administrationis exigendas juxta terminos c. 9. sess. 22. Nam cum ibi non fuerit repetita illa verba, S. Congregatio consultata, an d. e. 9. sit in re ligendum absolute etiam in pijs locis laicorum privatorum sine ulla distinctione generaliter etiam in casibus à jure non concessis, respondit ita esse intelligendum. Itaque Episcopi non sunt generaliter, & indistincte executores piam voluntatum, sed ad juris communis præscriptum, & sic in subsidium, id est, cum nulli sunt executores à testatore deputati, vel si sunt, tamen moniti voluntatem testatoris renuat adimplere, nisi in hunc quoque eventum testator providerit sibi de alio executoris, ut dictum est supra. Licet indistincte jus habeant morosos executores compellendi. Unde bene Anr. de Butrio hic n. 5. ex hoc textu notat etiam datam morà exequendi, non devolvi ad Episcopum potestatem immediate exequendi, sed compellendi, nisi à jure, vel ab homine alius terminus reperiri esse statutus. Pias autem voluntates quoad hunc effectum Hostiensis, num. 6. intelligit generaliter omnes etiam ad non pijs causas, dummodo non sint contra legem. Et hoc est quod innotuit littera hujus textus, ubi, universa procedant, & in verbis præcedentibus, ubi, in omnibus pijs voluntatibus, quasi dicat, omnes sunt pias. Vltima voluntas, l. 3. q. 2. & l. 1. C. de sacros. Eccl. Et quamvis glossa t. hic restringit dispositionem hujus Decretalis ad relicta ad pias causas; tamen ejus opinio expressè reprobatur in c. Joannes, infra eod. secundum Holt qui propterea n. 7. in fine. Hæc, inquit, non solum in relicta ad pias causas, sicut quidam garriunt, sed etiam quoad solutionem debitorum & alia locum habent, ut legitur, & notatur in d. c. Joannes, & in c. Haeres, supra eod. & sequitur Joan. Andr. hic n. 4. in ver. Pias voluntatibus, & in d. c. Joannes, in ult. q. 8. & hac est communis opinio, ut ibi testatur Anton. Prosp. Fagn. in 3. Decretal. Tom. 4.

de Butr. in 5. quest. num. 17. vers. Communiter tenetur, primum tetigi in cap. Nos quidem, supra eod. dem.

Secundo nota ibi, plenarie in usu predictis expendant, executores de relicta ad pias causas nihil posse proprijs usibus applicare. Unde nec Falcidiam detrahere possunt quia quarta Falcidia non detrahitur de legatis ad pias causas, Auth. similiter, C. Ad leg. Falcid. tum quia cum sine merè executores, nullum lucrum pertingere debent, ut in Auth. de Ecclesiasticis, Si autem legatum, & l. Si quis ad declinandam, C. de Episc. & Cler. & tenent hic Holt n. 9. in ver. De bona ipsa, Jo. Andr. n. 3. vers. Quamvis hostis. Butr. nu. 8. Anchar. nu. 5. & ceteri. Hinc cum Ferdinandus Fonseca relicta administrator cuiusdam capellæ à testatore influcta cum salario ducatorum decem postulasset declarari an faciendo celebrari. Multum singulari diebus pro anima testatoris satisfeceret ejus voluntati, quæ fuit ut ab administratoris tot nummi solverentur Capellano celebranti, quot possent supplere redditus hereditatis adeo ut liceret eidem administratori fructus superexcrecentes dictæ hereditatis ejus indulgere, & labore pro se retinere: S. Congregatio censuit nihil posse sibi applicare, sed debere eum esse contentum suo salario scutorum decem, & quicquid superexceverit teneri convertere in celebratione tot Milliarum, quot redditus supplere poterint.

Tertio nota, executores compelli posse ad exequendam piam testatoris voluntatem, etiam per centurias Ecclesiasticas, ut hic notat Anchar. num. 6. Quod tamen intellige post susceptum executoris officium, ut in cap. Joannes, ubi, post mandatum susceptum, infra eod. Nam et si executio ulcime voluntatis sit res favorabilis, & pia, ut in l. 1. C. de sacros. Eccl. & dictum est supra num. 5. tamen non cogitur quis acceptare executoris officium sibi delatum in testamento, ut colligitur ex glossa in d. c. Joannes, in ver. Mandatum, notat ibi Jo. Andr. in eod. ver. & Abb. nu. 3. Rursus hoc intellige præmissa monitione, ut hic, quæ secundum aliquos debet esse prima, ut in c. Indigne, 12. q. 2. & in c. Sacro, infra de sent. excom. & in hoc relidet Butr. nu. 9. Sed in hoc casu verus est binam sufficere, quia ita expressum est in Auth. de Ecclesiasticis, Si autem pro redemptione, & hoc tenet Holt: hic n. 10. in ver. Monitione, Jo. Andr. n. 5. in eod. ver. Card. n. 2. in 2. oppos. & Anchar. n. 7. in 9. notab. & inter monitiones interponi debet spatium arbitrium, l. Nonnunquam, ff. de iudic. saltem trium dierum, l. Inter accusatorem, ff. de publi. iudic. & l. 3. C. de errori. Advoc. cap. ad nostram, infra de regular. & c. Confirmitationem, eod. tit. in 6. non enim sufficeret, si tres diceret, solve, solve, solve, secundum Abb. Antiquam quem referunt, & sequuntur Jo. Andr. & alij per allegati. Non obstat quod in extrajudicialibus sufficiat unica monitio, ut notat glossa in c. Si Episcopus, in ver. ... 1. 8. dist. 1. & Innoc. in c. Cum nobis, de elect. quia secus est si non sit merè extrajudicialis, ut hic per Butr. num. 9.

Quarto nota singulariter ex illis verbis, Licet etiam à testatoribus hoc fuerit interdictum. Testator non posse prohibere in suo testamento, quominus in casum negligentia executorum, vel heredum jus exequendi devolvatur ad Episcopum Decretanum, intellige, ut dixi, supra num. 3. Con-

fine. Utramque igitur ex his dispositionibus separatim considerando;

Quoad primam, in qua Canonicus est deputatus executor, videtur respondendum Concilium non obitare, quominus is Canonicus hoc munus suscipiat. Hodie enim est expeditio religiosorum profanos posse huiusmodi officium suscipere accedere sui Superioris specifica licentia, ut in c. fin. infr. eod. lib. 5, & in Clem. unica eod. tit. & dictum est supra in ult. notab. & in Canonico Regulari exemplificat Jacobus a Canibus de execut. ult. volunt. part. 1. n. 3. Licet Spectelator, qui scripsit ante iura Sexti, & Clementinarum, aliter ientiat in tit. de instrum. edit. 5. Non vero aliqua, n. 70. vers. Sapientiam quaeritur unum simplex Monachus, & n. 71. vers. Quid de Canonico Regularibus. Cujus opinio corrigitur in predictis iuris, ut per Jo. Andr. ibi in addit. littera F.

Neque oblat decretum d. c. 2. sess. 24. de Regular. prohibens Regularibus bonamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere. Quia executor datus ad d. l. buanda bona in pios usus, non potest ibi, vel conventui aliquid regulariter applicare, & sic tamquam propria, aut etiam nomine conventus non possidet, l. si mandavero, §. si ibi, ff. Mandati & in materia nostra tradunt Archid. Jo. Andr. in c. fin. de testam. in 6. n. 3. vers. Unde, & ibi Anchar. n. 13. Franc. n. 9. Adde ad Capell. Tolos. decis. 28. Calderin. de testam. conf. 31. & 39. nisi esset forte in summa necessitate, Capra. d. l. th. in 6. membro. n. 16. & seq. Et quamvis in secunda dispositione in casu nostro caveatur, ut executor possit aliquid sumere; tamen si Concilium obitabit, illa secunda pars irritabitur; sed inde non inferitur, ut dictum est ad nullitatem deputacionis executoris, cui Concilium non obitabit.

16 Necrefragatur quod Concilium d. c. prohibet oblatabilia concedi alicui Regulari etiam in administratione. Nam responderetur executori huiusmodi habere bonorum administrationem, sed nudum ministerium, ex quo nihil sibi percipit emolumenti, vel commodi, ut supponimus in hac prima parte: nam si perciperet jam non esset nudus minister, sed legatarius, l. si quis Titio, ff. de leg. 2. & docuit Bald. conf. 122. l. 4. Feder. de sen. conf. 56. Domine Francisce, vers. Secundo quaritur, in princ. Angel. conf. 129. Bona dicti testatoris, vers. Quia igitur.

18 Quoad secundam partem tamen si de iure communi legatum factum Regulari pro usu suo percipiendum cum licentia superioris validum esse existimaverint Calder. conf. 21. de testam. Barr. in Auth. Exspirat, c. de bon. que luer. & in l. Lucius, §. tres heredes, ff. ad Trebell. Navarr. consil. 3. de statu Monach. quest. 18. n. 49. Tamen textus in c. Monachi, de statu Monach. in quo precipue fundatur eorum opinio, alium habet sensum, nam dum disponit ut Monachi possint habere peculium, si eis fuerit in iniusta administratione permisisum, non procedit nisi in Monachis officialibus, ut innunt illa verba, pro iniuncta administratione. Unde quoad reliquos Monachos, qui officiales non sunt, salva manet prohibitio, de qua in principio illius textus, ut peculium eis habere non liceat etiam ex permissione Abbatis secundum intellectum Innocentii, Host. Jo. Andr. Anton. de Butr. & Anchar. ut ibi licillime dixi.

19 Sed quidquid sit de iure communi, certe in spectata Tridentini Concilii dispositione in d. c. 2. videtur respondendum legatum non valere. Ita enim alias declaravit Sacra Congregatio, ut dixi in d. c. Monachi, reprobata Navari opinione, qui in consilio 14. de statu Monach. & in Comment. 2. de regul. n. 14. putavit d. c. 2. nulla in re immutabile dispositionem juris communitis, & de iure communi licitum esse Regularibus habere peculium in suos honestos usus de Superiorum licentia.

20 Itaque cum legatum in effectu quoad Regularem non valeat, etiam si acceleret consensus Superioris, simul accipit declarari sibi ex eo aliquid velle applicare pro libris suis, ut testator ei concessit; ex ejus persona acquiritur Monasterio, c. Non dicatis, 12. q. 1. c. Abbates, 1 d. n. 2. c. Quia ingrediens 19. q. 1. c. Cum ad monasterium, de statu Monachor. & de Canonico Regularibus est textus de off. in c. Quanto, de offic. Ordin. ut nec momento temporis maneat apud Canonici, ac quidem, Abb. in d. c. Monachi, n. 8. de statu monach. l. se Navarr. in Comment. d. c. Non dicatis, n. 34. & seq. Quandoquidem, ut scripsit Bald. conf. 494. lib. 1. Licet jus delatum monasterio sumat initium ab ipso Monacho, tamen per modum tantilla, & sic nudo oculi in monasterium tranfit. Cujus dictum refert, & sequitur Cardin. Mantica de consuetud. ult. volunt. lib. 8. tit. 12. n. 28. Et propterea si Superiori in genere licentiam concederet dictum annuum redium sibi pro usu suo mandandi, concederet ei bona monasterii stabilia, inter que redditus annuus computatur, ut habetur in Clem. Exdri, §. Cumque annui redditus, de verbor. sign. sic. & obstat Concilium.

21 Itaque sic possit ad secundam partem dubitare responderi; non licere Superiori huiusmodi licentiam Regulari concedere. Si tamen pro renata, & in singulis casibus si legatarius aliqua re indigeat non repugnat eam pauperatis. Prælatus potest indulgere, ut ille ex reditu annuo legato certam partem portio eidem usui necessaria applicetur, puta ad mobilia comparanda juxta decretum d. c. 2. vers. Mobilia vero usum; modo tamen exactio annui redditus fiat a communibus officialibus monasterii ad præscriptum d. c. 2. & decretorum Clementis VIII. super reform. Regular. & quod supererit, in communes monasterii usus convertatur, ut in similibus casibus respondit Sacra Congregatio.

DE SVCCESIONIBVS ab intestato.

Cap. Cum Dilectus. S F M M A R I V M.

- 1 Rectori intestato decedenti si non habet consanguineos, succedit Ecclesia; sed si apparet eum fuisse Monachum, vel sana mente testatum.
- 2 Testamentum ad pias causas conditum per verba enunciativa & propter aliud prolata, valet etiam ad exclusionem alterius Ecclesia.
- 3 Oblatio probatur per unum testem de veritate, & confessionem etiam incidenter factam.
- 4 Novitius an possit in ipso tempore ingressu donare seipsum & omnia bona sua Religioni, & n. seq. usque in finem.

- 5 Corroboratio iurium induci non debet per subditos intellectus.
- 6 Ecclesiastica potestas non solet seimmiscere in jurisdictione aliena.
- 7 Ecclesia in quibus casibus habet jurisdictionem.
- 8 Novitius est de jurisdictione ecclesiastica.
- 9 Novitius qui sunt, & n. 11.
- 10 Oblati, seu donati, qui proprie dicantur?
- 12 Conversi quid differant a Monachis.
- 13 Donati, seu oblati quid differant a Conversis.
- 14 Tridentinum Concilium, c. 16. sess. 25. de Regul. expenditur.
- Oblati non comprehenduntur in dicto c. 16. sess. 25. de Regul. ibid. & n. seqq.
- 15 Dicitur, quoque, est continuativa ejusdem materiae.
- 16 Novitius transeunt ad statum oblatoarium non prohibetur bona sua monasterio offerre.
- 17 Novitius offerens perpetuo se, & bona sua monasterio, censetur renunciare Novitiati.

CUM DILECTUS. Rector Ecclesie dicitur intellectus si nullum facit testamentum; vel fecit, sed furiosus; & tunc succedit Ecclesia si non habet consanguineos; sed si autem illi apparet illum fuisse Monachum, vel sanamente.

1 Testamentum h. d. secundum Joann. Andr. & committer DD. sed adtingendum duos notabiles, & singulares intellectus, summatim secundum quolibet intellectum; & Primò licet testamentum ad pias causas conditum per verba enunciativa etiam propter aliud prolata, quamquam successio, seu testatio veniat ad exclusionem alterius Ecclesie, vel aliter secundum alium intellectum per unum testem de veritate, & per confessionem etiam incidenter factam probatur oblato etiam quoad effectum consequendi bona oblata; Abb. Siculus.

4 In textu ibi, se, & sua monasterio contulisse. QUÆRO an Decretum Tridentini Concilii, c. 16. sess. 25. de Reg. obstat quominus Novitius possit in ipso tempore ingressu donare seipsum, & omnia bona sua Religioni.

Proposita questio omissis aliis, de quibus posset dubitari, hoc videtur petere, videlicet an Concilium Tridentinum d. c. 16. corrigat jus antiquum in proposito casu; si vero deroget, circa quem questionem præmittendum est.

5 Primò, cum agatur de correctione iurium antiquorum, per quæ poterat fieri dicta donatio, ut probat text. hic, & in c. In presentia de probat. & Doctores multis in locis tradunt; illa non est inducenda, nisi prout in iure expressa reperitur, c. Constitutio, & ibi glos. fin. de elect. lib. 6. l. Præcipimus, in fine, de appellat. l. Sancimus, c. de testam. Neque enim per subditos aut tacitos intellectus inducitur correctio, ut dicit glos. in c. Cupientes, §. Quod si per viginti, in verb. Petere, de elect. lib. 6. Sed potius jura iuris concordanda, c. Cum expellatur, de elect. lib. 6. Gem. conf. 88. Innoc. Papa ad fin.

6 Secundò, præmittendum est ecclesiasticam potestatem non solere se immiscere in aliena jurisdictione, c. Novit. de judic. c. Licet ex suscepto, de for. compet. alioquin eidem posset impuñe non dari, l. fin. ff. de jurisd. omn. jud. & noc. Innoc. in c. Inquisitioni, prope fin. vers. Item si præcipiat laico, de sent. excomm. & Felin. in c. Accepimus,

n. 2. de fide instr. nec posset aliquis inhabilitare non subditum, ut colligitur ex jura in Auth. Ingressi, n. 10. c. de sacros. Ecclesie.

7 Tertiò, præmittendum est Ecclesiam regulariter non habere jurisdictionem in laicos, nisi in certis casibus, de quibus in verbis additis ad gloss. penult. in d. c. Licet, tradunt etiam Doctores in c. Cum sit generale, per illum text. de jur. con. per. & in c. Per venerabilem. & ibi plene per Host. & Joan. Andr. qui sibi sint legitimi.

8 Quarto, præmittendum in d. cap. 16. sess. 25. de Regul. nullam exprimi qualitate ratione rei, contractus, vel delicti, super qua possit jurisdictione ecclesiastica fundari, nisi solam qualiter personam, quæ est ipse Novitius, qui, ut not. Host. in c. Statuimus, n. 4. circa finem, vers. Nec oblat, de Regul. fori privilegio gaudet, cum sit de jurisdictione ecclesiastica. Et inde infero Concilium non inhabilitare omnes personas, quin possit, nisi servatis his, de quibus in d. c. 16. renunciationem, vel obligationem facere, sed solum illas, quæ sunt de sua jurisdictione: imò nec has omnes, sed solum illas personas in d. c. expressas, nec correctio ultra expressa inducatur.

9 Quintò, præmittendum inter ceteros status, seu gradus personarum Regularium, de quibus loquitur d. c. ut colligitur ex verbis ipsius, ac etiam ex rubrica de Regul. sub qua hoc capitulum collocatum reperitur, hos duos reperiri, quorum unus est status Novitiorum, qui ideo in monasteriis recipiuntur, ut ad formam c. Ad Apostolicam de Regul. probantes, & probati suo tempore ad professionem regularem admittantur, vel ut elapso anno ad formam d. c. 16. in monasteriis ejiciantur. Alter status est donatorum, seu oblatoarium, de quibus, ut inquit Abb. bier. 2. fuit aliqui, qui se ipsos, & sua donant Ecclesie absque eo, quod sint Monachi, & dicuntur oblati, & ut inquit Bero. in c. In presentia, n. 48. de probat. Ex quo transferunt se ad Religionem non per modum professionis, sed simplicis conversionis, non sunt Monachi, sed oblati, de quibus etiam plenè Socin. in tract. de oblato. & plenè scripsi in c. Privilegia, infra de privileg.

11 Sextò præmittendum etiam si attento communi usu loquendi, Novitii proprie dicantur ii, de quibus in 5. suppo. in princip. actum fuit, aliquando tamè licet raro, & minus propriè, accipiuntur etiam pro his, qui in Religionem non sunt adhuc admodum circa Regulares observantias inveniunt, c. l. 1. §. Sacra ubi glos. in verb. Novitii, de statu. Monach. vel quibus ex quo intrarunt in Monasterium, antequam adhuc lapsus non est, arg. l. Interdum, §. Quoties, ff. de publi. an. quod præmittendum fuit ad faciorem explicationem questionis, quæ in genere de Novitio proponitur, nulla facta distinctione, an intelligatur de Novitio, qui recipitur in Monasterium, ut fiat mediante professione Monachus, cujus appellatione comprehenduntur etiam conversi, qui professionem solemnem trium votorum, & ipsi post probationem emittere solent, solumque differant a Monachis ratione Ordinum factorum, ex Card. in Clem. 1. in fin. de Decret. juncto etiam eo quod dicitur in Clem. 1. In prime, de excessibus, Prælat. Nam, ut inquit Bero. d. cap. In presentia, num. 58. post. Imol. in cap. Quia ingrediens, de testam. Conversum facit non habitus gestatio, sed professionis emissio: An vero intelligatur de illis,

illis, qui simpliciter nulla emissa professione sunt donati, seu oblati, vel etiam conversi illius specie ac professione non emittunt, de quibus etiam loquitur Specul. in tit. de regul. quæ tria nomina in idem quoad rem, coincidunt, & pro eodem recipi solent, quia secundum diversitatem religionum in aliquibus vocantur oblatores, in aliquibus donati, & aliquibus conversi sine professione.

14 Septimo præmittendum Concilium Tridentinum d. c. 16. loqui solummodo de novitiis primo, & proprio modo, non autem secundo modo sumptis, qui in monasterio, non ut ibidem professionem regularem emittant, sed ad alium recipiuntur statum, pura, ut sunt Donati, vel Oblati, ad quos ut dixi reduciuntur Conversi non professi. Et cum ex hoc dependeat quæstio propolite resolutio, probandum omnino venit. Probatur autem, quia prædictis Donatis, seu Oblatis verba concilii non congruunt, primo ponderando dictionem quaque politam in d. c. 16. quæ cum sit continuativa, denotat secundum Card. in Clem. 1. §. 1. q. 2. de regul. Concilium loqui in hoc c. continuativè, & conformiter de eadem materia, de qua egit in prædicto capite, quod incipit, In quacumque. Sed Concilium in prædicto capite disponit quomodo, & quoad Novitium admitti possint, vel non ad professionem, & per quantum temporis spatium debeant in probatione. Huiusmodi autem verba professionis & probationis prædictis Donatis, & Oblatis nequaquam conveniunt, cum nec ad professionem admittantur, nec illo iure sit cautum, ut in probatione stent per aliquod tempus. Ergo nec sequens capitulum, quod continet eandem materiam illos comprehendit, c. Si pater, ad fin. de restam. lib. 6. c. Mayores, de Bapt. glof. magna in fin. in Clem. 1. de feat. excommunicatio. Pondero præterea verbum illud, antea facta, quod, ne sensus sit imperfectus, non potest regi, nisi ab illa persona, de qua supra habitus fuit sermo. Et quia supra actum fuit solum de illo Novitio, qui post annum, & non prius debet admitti ad professionem: sequitur, ut & verba d. c. 16. alium non possint habere sensum, quæ hunc, videlicet nullam renuntiationem, aut obligationem ad dictum Novitium factam ante annum probationis exactam valeat. Quæ verba cum nullo modo prædictis Oblatis convenire possint, utique nec dispositio, c. Una, de spons. l. 4. §. Toties, & ibi Bart. ff. de damn. infest. Gemin. conf. 65. n. 2. Lex enim non imprimit effectum suum, nisi in illas personas quibus verba legis congruunt, & adaptantur, ut idem Gemin. ait in conf. 88. sub. n. 4. versum ergo concurrunt. Idem colligitur ex pluribus aliis similibus verbis, quæ in d. c. 16. ponuntur, quæ solis Novitiis primo modo proprie sumptis convenire possunt: ergo de iis solum Concilium loqui deprehenditur. Unde non est aliquo modo extendendum ad alias personas, ut minus corrigat ius commune.

His præmissis quæstioni propolite deciditur sub hac distinctione respondendum nam aut quaeritur de Novitiis secundo modo sumptis & quoad ipsos dicendum est ius antiquum nequaquam correctum fuisse, ideoque licere illis ut prius donare, neque attendendum esse lapsum alicuius temporis probationis, quæ ante professionem fieri solet, cum ipsi nec professionem faciant, nec de iure stare teneantur in aliqua probatione. Aut quaeritur de Novitiis primo modo sumptis, & tunc iterum

16 distinguendum videtur. Nam aut quaeritur quid ius quoad illos Novitios, qui in principio recepti sunt in monasterium ea principali intentione quæ in omnibus adibus attendenda est, l. Si quis nec causam, ff. libert. per. Felin. in c. Non dubium, n. 2. de sent. excomm. ut post debitam, & annalem probationem ad professionem admittantur, vel e monasterio ejiciantur, & postea ante lapsum anni dicta intentione mutata, derelicto statu, seu gradu professionis prius intento, volunt mediante dicta donatione, & oblatione sui, & suorum ad statum Oblatorum, seu Donatorum recipi: & donatio videtur valere, nam in hoc casu, ut in similibus dicitur in l. Singularia, ff. si cert. per. perinde est, ac si ante completum probationis annum, ut poterat de iure, c. Consulti, de regul. ad seculum client reverfi, & postea religionem ad statum Oblatorum seu Donatorum intrahere, quæ actio cum a prima sit se ipsa separata, & distincta, debet uti a prima separata considerari, & iudicari. Unde sequitur, ut nec sit comprehensa in dispositione d. c. 16. ut supra dictum est de illis Oblatis, qui usque a principio Religionem in statu Oblatorum non profectum sunt ingressi. Aut quaeritur de illo Novitio, qui a principio fuit receptus hac principali intentione, ut post debitam probationem ad professionem regularem admittatur, vel e monasterio ejiceretur, & postea non recedendo a prædicta intentione, & actione velit retinere prædicto Novitorum statu seipsum, & bona sua monasterio donare. Et ad hoc dicendum est primo quæstionem implicare, epugnantiam, ut eadem persona simul, ac semel eodem tempore velit retinere in Religione statum Novitorum qui retractabilis est, & statum perpetuum Donatorum, qui de se est irtractabilis. Quod tamen si fieret, probabilis esset hanc sui, & suorum donationem non valere. Ex quo Concilium per verba negativa, quæ plus negant, & tollunt, quam ponat, & affirmat affirmativa glof. in c. Cui dilectus, in ver. a suspensis, de consuet. generaliter decernit nullam donationem a Novitio extra modos ab eodem Concilio præscriptos validam esse. Ergo si nulla donatio est valida, licet non valeat donatio per se absoluta facta, pariter nec valebit etiam si fiat simul cum sui ipsius personæ oblatione, seu donatione. Imò forte nec sui oblatio teneret, quia & ipsa etiam dicitur oblatio, quæ a Concilio prohibita est, eo quod non potius hanc quam illam, sed omnes omnino irretet obligationes a Novitio factas, ut in limit. dicit glof., in c. Statutum, §. Insuper, in ver. Nullam de rescript. lib. 6. Negativa enim universalis negat omnia possibilia, Rom. conf. 129. Præter, n. 2. vers. Secundo quia est in uno etiam minimo sit falsa, in omnibus redditur falsa, quia nullam patitur restrictionem, l. Si quis ducenta, §. Vtrum, ff. de rib. dnb. Cravett. conf. 800. Plura excutenda, n. 4. Imò omnia includit, quæ sub latissima significatione vocabili continentur, Decian. conf. 12. n. 12. 1. Postea autem quæstio procedere in eo, qui durante probationis, seu Novitiatus anno a dicto statu Novitorum non recedendo sua irrevocabiliter, se autem revocabiliter offerret. Et in hoc casu idem, & multo magis videtur concludendum, videlicet non valere hanc donationem per rationem prædictam. Præsertim quia per huiusmodi irrevocabilem bonorum oblationem admittit Novitio libertas ad seculum redeundi, quæ fuit ratio prohibitionis a Concilio

Concilio considerata in d. c. 16. ibi, Ne hac occasione distendere nequeat, quod totam, vel maiorem substantiam suam partem monasterium possideat. An autem quando quæ oblatio est, & sua, revocata, seu annullata sui oblatione, revocatur etiam donatio rerum, tractatur in c. Quod a te, de cler. conjug. super quo non est innotandum, quia nec quæstio propolita hoc exigit. Itaque omnibus in compedium redactis donario facta ab eo, qui ingreditur monasterium in statu Oblatorum, seu donatorum, seu etiam Conversorum, illorum inquam qui non faciunt professionem regularem, valida est, etiam si primo die, vel primo mentis sui ingressus donet se, & sua monasterio.

17 Donatio autem, quæ fit ab eo, qui ut Novitius ingressus est monasterium; & receptus ad statum Novitorum ad hoc, ut completo probationis tempore ad Monachale recipiatur professionem, vel ad seculum revertatur, nisi prius expresse, vel tacite dicto statui renuntiet, quod tamen facere videtur, dum postea donat se & sua irrevocabiliter monasterio, non valet donatio, quia est facta a Novitio ante tempus ad Concilio statutum. Idem & multo magis si donaret sua irrevocabiliter, sed seipsum revocabiliter. At si quinquies, & fuit admittitur ad statum Novitorum, mutet propositum, & velit a dicto statu recedere, & recipi ad statum Oblatorum; eius donatio ab ipso quando eumque facta valebit, quia non est facta ab eo Novitio, de quo loquitur Concilium.

Ad propositum dubium satis esset respondere huiusmodi donationes, quæ fiunt ab iis, qui ut Novitii ingrediuntur animo profectendi legitimo tempore, comprehendit c. 16. sess. 25. de regul. oblatos vero, qui se, & bona sua monasterio dederunt, etiam si perpetuè, & plenè oblato fuerint, ad c. 15. & 16. non comprehendit, & ita S. Congregatio respondit.

DE SEPULTVRIS.

Cap. Fraternitatem.

SVM MARIVM.

- 1 Sepultura ecclesie in loco minus religioso an, & quando valeat, & nn. seq.
2 Sepultura relicto sepulchro majorum suorum ecclesie non potest in ecclesia, quæ de iure, vel ex privilegio cæmeterium non habet.
3 Ecclesia regulariter de iure communi non habent cæmeterium.
4 Ecclesia habentes populum, & habent ius funerandi, dummodo cæmeterium fuerit eis ab Episcopo deputatum, & n. 6.
5 Monasteria Regularium de iure communi habent cæmeterium etiam si populum non habeant, & resellitur contraria opinio Abbatis.
6 Sepultura privilegium potest Episcopus concedere ex iusta causa, & de capitulo consensu, dimissa tamen Parochiali ecclesie canonica portione.
7 Sepultura cur potius sit eligenda in locis magis religiosis.
8 Mortui an magis participant de suffragio factu in ecclesia, in qua sepulti sunt, quam de factis aliibi, & n. 16.

- 10 Sepultus apud Martyrem orationi Martyris commendatur.
11 Parentum appellatione aliquando veniunt attingentes, & non ascendentes.
12 Sepulturam non eligentes, aut minus rationabiliter sepelendi sunt in sepulchro majorum suorum.
13 Missa unius celebratione an omnibus satisfaciatur. Sacerdos, qui pro pluribus Missis plura stipendia accepit, & nn. seqq. usque in finem.
14 Missa sacrificium pro pluribus oblatum an tantum proficiat singulis, quantum si pro quolibet ipsorum singulariter offeratur, lat. sine d. seu iur. usque ad n. 79.
15 Canonista, & Theologi referuntur pro prima opinione affirmativa, & n. 28.
Oratio specialis an magis proficiat, quam generalis, ibidem, & nn. seqq. & n. 56.
16 Suffragium an maiorem conferat honorem animæ illius pro quo fit, & in quo ejusmodi honor consistat.
17 In Purgatorio existentes non erant pro aliis.
18 Missam pro pluribus dictam non minus prodesse singulis quam si dicatur pro uno, quibus argumentum probetur, & nn. seqq. usque ad n. 25.
20 Missa una ex parte sit est valoris infinitæ, & sufficiens ad satisfaciendum pro omni pena, & nn. 47. & 74.
21 Infinitorum nullum virtutem habet finem.
22 Lumen spirituale est magis communicabile, quam lumen corporale, & n. 76.
23 Missa æque prodesse illis, qui cogitantur in Memento, si circumstantes sint plures, ac si pauciores, & n. 77. & 78.
24 Jejunandi causa plures si concurrant eadem die, unico jejunio potest omnibus satisfieri, & n. 79.
25 Missa uni debita potest pluribus applicari si sacerdos multiplicet tot gradus devotionis, quot sunt in pro quibus celebrat, & Cajetan. sententia. Contrarium, n. 28. & seqq. usque ad n. 36.
26 Missa applicatio perficitur ex intentione, & devotione sacrificantis. Contrarium, n. 28. & seqq.
27 In sacrificio non perpendit Deus quantum, sed ex quanto offeratur. Declaratur, n. 33. & 35.
28 Missa sacrificium efficaciam habet ex opere operato, nec ulla offerentis malitia ingimari potest.
29 Missa sacrificium ex opere operato tantundem valet et, cui applicatur si fiat a bono, ac si a malo Sacerdote.
30 Missa sacrificio placatus Deus peccata dimittit ingentia.
31 Sacrificii, & Sacramenti effectus in pluribus Missis multiplicatur.
32 Missa sacrificium sit satisfactorium offerentibus, & iis, pro quibus offertur secundum quantitatem suam devotionis.
33 Declaratur, & nn. seqq.
34 Missa sacrificium effectum non habet nisi in illis qui conjungantur huic Sacramento per fidem, & charitatem.
25 Missa melioris Sacerdotis ex opere operantis est magis fructuosa, & n. 68.
Intellectus, c. Ipse Sacerdotes, l. q. 1. ibidem.
36 Missam magis proficiat iis, qui sunt magis digni, quam ei, cui applicatur, & nn. seqq.
37 Orationes aliquas cur Ecclesia pro aliquibus instituerit, & n. 56.